



FRANCISCI NORCIA

ADVOCATI ROMANI

AEGYPTII JURIS

SPECIMEN.







ROMAE
EXCUDEBAT LINUS CONTEDINI
CIϽ IϽ CCCXXII.

AD EMUM ET REVMUM D.

FRANCISCUM CAESAREUM
DE LEONIBUS
S. R. E. CARDINALEM
AESINAEQUE ECCLESIAE EPISCOPUM.



CUM *multa veteres*, ***CARDINALIS AMPLISSIME*** *ad animi informationem, societatisque humanae commoda promovenda egregie instituissent, tum ferventissimum illud omni aetate praestantissimorum hominum studium enituit exterarum gentium mores, institutaque invisere atque inde vitae exempla sibi facere. Hinc*

divinus ille, *qui*, *Venusino monente* - nil molitur inepte -, *quo Laertiadis consilium*, *sapientiamque commendaret*, *sat habuit eum dicere* - virum, qui mores hominum multorum vidit, et urbes - *Et sane qui externa omnia contemnunt*, *nimioque patrio amore elati*, *nil*, *nisi domesticum*, *in pretio habent* : *nae isti*, *quam extollere cupiunt*, *patriam*, *temeritate sua deprimunt*, *pessumdant*. *Ecquis enim adeo naturae ignarus est*, *qui nesciat*, *hominum commercio*, *ingeniorum vim quammaxime crescere? Nonne populorum*, *tum loci*, *tum regiminis*, *tum instituti opportunitates diversissimae diversas quoque artes*, *vitaeque adjumenta requirunt? Quare alibi nauticae artis*, *alibi agricolationis*, *alibi bellandi ratio felicius alio florebit*. *Quid igitur praestantius*, *quam a cunctis optimum seligere*, *atque in Reipublicae suae usus apte derivare? Summa haec ferme prudentia Romanorum fuit*, *de quibus Caesar apud Sallustium gravissime dixit* - Majores nostri neque consilii, ne-

que audaciae umquam eguere: neque superbia obstabat, quominus instituta aliena, modo proba erant, imitarentur. Arma atque tela a Samnitibus: insignia Magistratuum ob Thuscis pleraque in sumpserunt: postremo quod ubique apud socios, aut hostes idoneum videbatur, cum summo studio domi exequebantur: imitari, quam invidere bonis malebant- *Quod quidem his maxime disciplinis praestat, quibus animi eruditio, ac hominum felicitas continentur: Philosophiam dico, ac legum scientiam. Veritatem quippe, cui prima studet, vel ex populorum consensu haurire licet: certe autem ex aliarum gentium moribus datur secernere quid a Natura, quid ab hominum institutione repetendum sit; quando ea est naturae vis, ut in omnes, modo homines, aeque agat, dominetur. Hominum vero felicitas, ac salus ex infinitis eisque inter se diversissimis rationibus coalescit, quas tenere omnes prudens Legumlator debet: facile autem haec omnia assequatur, modo, post-*

quam aliarum Civitatum statum attenderit, noscat quoque instituta, quibus hae diutius se integro loco servare valuerint. Huc spectabant difficiles illae peregrinationes, quas veteres Philosophi, ac Legumlatores obibant, quo quo aliarum gentium prudentia cives suos rectius gubernarent, atque erudirent. Traditum id, ut TU minime ignoras, de Carneade, Accademicorum principe, de Zenone Stoae institutore, aliisque multis, quos mittam ne nimius sim. Praetereundus vero non est Samius Pythagoras, qui Aegyptum, Persidem, Indias, Gallias peragravit, quo cum Sacerdotibus, Magis, Bracmanibus, Druidisque de philosophia ac legibus sententias conferret antequam Crotoniatibus nova jura constituere parasset. Idem celeberrimus Atheniensium Legumlator, Solon expertus est, ac tandem Majores nostri, qui Italiam, Graeciam perlustrandas antea duxerunt, quam XII. Tabularum celebratissimo juri condendo manus admoverent.

*Tanta hoc sapientissimorum hominum consensione et ipse motus, **CARDINALIS AMPLISSIME**, non inutile plane opus me aggressum arbitratus sum, si de Aegyptiorum, qui scientiarum, ac artium inventores praedicantur, institutis, ac Legibus, quid literis mandarem, **TUOQUE NOMINI PRAECLARISSIMO** inscriberem. Profecto si non scribentis copia, facultasque, argumenti tamen praestantia excelso animo **TUO** digna habenda ab omnibus est. Cui enim obscura summa illa ingenii **TUI** vis, ac sagacitas, qua tot annos justitiae momenta in Urbe ita librasti, ut omnibus satisfeceris, qui ad **TE** accesserint, ac nunc Populum, Pastorali **TUAE** ferventissimae curae commendatum, aptissime gubernas? Cui morum suavitas, orisque comitas singularis, ex qua fit, ut licet nobilissimo sis loco natus, eminentioraque dein **TUA** virtute sis consecutus, neminem a **TE** repellas, omnibusque aequum **TE** praebeas, immo his, quod modestiae culmen est, remissiorem*

etiam TE geras? Cui tandem TUA omnibus benefaciendi cura, ac sollicitudo qua celsioris dignitatis gradus, TIBI meritis parti, potiorem usum nullum existimes, quam aliorum commodo, atque auxilio inservire, ac quamplurimis opitulari? Id et ego laetissime recordor, quum, Accademica Palaestra vix emensa, a mei amantissimo Patruo, quem TIBI longo beneficiorum ordine devinxeras, ad TE delatus, confestim tanta gratia, nescio qua re, abs TE sum cumulatus, ut TE auctore uno, altero a vigesimo aetatis anno nondum exacto, ad illud juris, sapientiaeque Sacrarium, atque Asylum, XII. virorum stlitibus judicandis collegium penes eximium qui TIBI successerat, cujusque erga me benefactorum memoria numquam intereat, Decanum accedere mihi datum esset. Quam facilis, ac larga mihi tunc discendi occasio oblata, rerum dijudicandarum varietate, responsorum sapientia, doctorum hominum congressu, ac consuetudine! Utinam quid boni hausis-

sem! curasse vero profitear. Ita si quando vacuum a jurgiis tempus incidebat, illud ego in vetustatis notitia, ac philosophia, quas Jurisprudentiae socias, atque adjutrices semper tenui, lubentissime collocabam. Hisce e studiis factum est, ut gravissimi Populi leges mihi excolendas susceperim: quod quamquam multi perdocte expedissent, desiderata tamen mihi videbatur methodus quaedam, quae, quum jura suis locis tractaret, ita nec historici tantum, aut philosophi munus praeseferret. Quare ita rem temperare molitus sum, ne philosophandi studium a factis, neve antiquitatis amor a veritate legentem abduceret. Quaedam hinc de Aegyptiorum moribus, et Theologia in antecessum notavi, ut legum vis aptius deprehenderetur: praeterea Aegyptii Juris specimen quinque Tabulis distinctum exhibui.

Accipe igitur, CARDINALIS AMPLISSIME munusculum hoc, exile licet, maximum vero, quod mearum virium tenuitate largiri potuisset, grati animi,

quem TIBI aeternum habeam, pignus, humanitati TUAE non injucundum, ut spero, ac summa, quae TIBI numquam aberit, clementia, et bonitate, meos impares nisus aequo fer animo, immo augeas, secundes, obsequio sumnmo, flagito, imploro.



DE ÆGYPTIORUM MORIBUS

THEOLOGIA

JURISQUE CONDITORIBUS.

CAPUT.

Aeris clementia, solique feracitate, animalium, pabulique copia donata Aegyptus ad pacis, felicitatisque studia incolas suos facile perduxit (1). Nam ubi naturae divitiae florent, nec improbo labore victus comparandus, ubi amoenitates, salubritatesque locorum jucundissimum vitae habitum, cultumque exhibent: ibi quisque, patria contentus familiae, reique suae totus incumbit, nec se inde abstrahi incerto, fallacique saepe lucro pati potest. Arma itaque Aegyptii eo tantum tractabant, quo se ab aliorum

(1) Aristoteles *Metaph. Lib.* 1. *cap.* 1. Strab. *Lib.* 17. Diod. Sic. *Lib.* 1. *cap.* 2.

vi defenderent, non quo aliena, quae nemini invidebant, dominia turbarent, vesanamque belli gloriam justitiae injuria mercarentur. Ceterum inter eos rigidior vigebat militaris disciplina, qua milites, pacis tempore, corporis exercitationibus ad vim ferendam informabantur, ne segnes, lascivientes homines, quos in Reipublicae salutem alebant, Civitati noxios, hostibus impares experirentur. Hinc Aegyptiorum equitatus mira dexteritate, et solertia, sacris etiam Literis commendatus est (1). Verum, his ad Civitatis tutelam statutis, mites Aegyptiorum animi ad scientias, artesque eas omnes, quibus humana felicitas coalescit quam maxime rapiebantur. Inde autem Philosophiae, bonarumque artium rudimentis conformati, in dulces, socialesque animi virtutes declinabant, quibus in Deos pietas, fides, amicitia, gratus animus inter homines sanciebantur.

(1) Cant. *I.* 8. Isai. *XXII.*

Sed divinarum rerum praecipua inter Aegyptios cura habita est. Vitae commodis, locique dulcedine illecti animi ad Superos, unde bona haec in terram delabi putabant, crebro se convertebant, ut felicitas, quam experiebantur, et auctior, et diuturnior inter eos maneret. Hinc fere omnia Aegypto religione munita sunt. At multa hac re occurrunt, quae Aegyptiae sapientiae opinionem apud vulgus comminuere. Sedulo tamen expendenda res est, ne durius judicium in hos temere jaciatur. Principio siquidem animadvertere praestat duplicem Aegypto religionem fuisse: altera, quae vulgi captui magis accommodaretur, ideoque *externa* appellata: altera vero interior, *arcanaque* dicta, certis Sacerdotibus, summisque viris cognita, unde Imperii, privataeque vitae regulae depromebantur. Hoc evincit Sacerdotum quae erat distinctio. Erant enim Sacerdotes, qui *Prophetae*, *Jerolistae*, *Jerogrammi*, *Orologhi* dicebantur, arcanae disciplinae partici-

pes. Erant e contra *Pastofori*, *Neocori*, *Camillorumque* (sic nos romano more) genus alii, arcanis nondum initiati. Reconditum itaque doctrinae, ac religionis depositum apud paucissimos manebat.

Jam vero si externam religionem intueamur, initio fortasse nos offendat, Numinum, quae colebantur, tum numerus, tum abjectio. Tota siquidem Coelestium familia pluribus gradibus inter se discernebatur, eaque *Parvos*, *Medios*, ac *Majores* Deos complexa est. Postremi tres erant numero. *Juppiter Ammon*, *Isis*, *Osiris*. His succedebant Medii, Daemones nempe, qui aeris, siderumque motum regebant: Alii autem terra geniti putabantur, adeout eorum nidi veneratione quadam indicarentur. Ad hoc, animalia plura divino cultu honorata sunt, nec praestantioris naturae modo, veluti *Bos*, *Leo*, verum et infimae, uti *Canis*, *Lupus*, *Accipiter*, *Crocodilus*, *Ibis*, *Felis*, *Ichneumones*, aliaquae. Postremo, si Satyrarum Scriptori fides est, nec oleribus sui sacri ritus de-

negati sunt. Profecto ita Aegyptiorum religionem irridet Juvenalis (1).

Quis noscit, Volusi Bytinice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars haec: illa pavet saturam serpentibus Ibin
Effigies sacri nitet aurea cercophitheci.
Dimidio magicae resonant ubi Memnone chordae,
Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis
Illic caeruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum, et caepe nefas violare, et frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus haec nascuntur in hortis
Numina!

Eadem fere habet, irrisorum princeps. Lucianus (2), aliique.

Verum haec non omnibus aeque probata sunt. Quod enim de oleribus dictum, falsum, atque ex una irridendi lubidine ortum plerique reputarunt. Quod cetera spectat, multae ab viris doctis afferuntur rationes, quae Aegyptiorum reli-

(1) *Satyr. XXIX.*
(2) *Imaginnm lib.* 1.

gionem non absurdiorem ea, quae aliis gentibus fuisset, ostendant. Nam, ut fabulas praeteream (quae tamen externarum religionum tunc erant fundamenta), quibus Aegyptii docebantur, antiqua hominum in Deorum perniciem conjuratione, Superos humanam rabiem veritos Coelum liquisse, atque se tantisper animalium formis celasse: haud despicienda ratio illa est, quae ex animalium, quae colebantur, utilitate deprompta fuit. Quod enim magna aliqua utilitate mortales affecisset, id non sine divina vi moveri putabant veteres, causarumque dein obliti res ipsas utiles, quae sensus proxime tangebant, venerabantur. Hoc de Graecis ipsis Sapientibus tradidit Tullius (1) - *Multae autem aliae naturae Deorum* (inquit Balbus) *ex magnis beneficiis Deorum, et a Graecis Sapientibus constitutae, nominataeque sunt. Quidquid enim magnam utilitatem generi afferret huma-*

(1) *De Natura Deorum Lib. II.*

no, id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaque tum illud, quod erat a Deo natum, nomine ipsius Dei nuncupabant; ut cum fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum.

Non itaque aliis nationibus insipientiores sese praebebant Aegyptii, si animalia ipsa unde utilitas manabat, divino cultu prosequebantur. Haec sane et Cotta praesentit, quum Epicureorum errorem de Superum inertia exagitans apud Romanum Philosophum - *Ipsi qui irridentur Aegyptii* (inquit) *nullam belluam, nisi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, consecraverunt. Ibes maximam vim serpentium conficiunt, cum sint aves excelsae, cruribus rigidis, corneo, proceroque rostro, avertunt pestem ab Aegypto, cum volucres angues, ex vastitate Lybiae, vento africo, invectas, interficiunt, atque consumunt, ex quo fit, ut illae, nec morsu, vivae, noceant, nec odore, mortuae. Possem de Ichneumo-*

num utilitate, de Crocodilorum, de Felium dicere, sed nolo esse longus - Reque vera Crocodilis Aegyptus ab Lybiae latronibus defenditur. Ichneumonum autem mira utilitas, solertiaque apparent, quum nimiae Crocodilorum propagationi occurrunt. Animal quippe pusillae molis immani belluae damna gravissima affert. Ipsum enim tempus arripit, quo fera abest, tum ova, quae relicta sunt corrumpit, quin edat: dein dum crocodilum somnus occupat hiantem ad Nili ripas, cito se in ejus gulam immittit, inde viscera aggressum, corradit, atque ex ventris tenellula, quam frangit, cute, victor tandem ferissimae belluae evadit.

Gravissima denique alia doctorum hominum sententia circumfertur, quae docet animalia, non qua bruta, sed qua Deorum figuras venerata ab Aegyptiis fuisse. Sane, qui de Iside, et Osiride scripsit, Plutarchus Philosophos ait, divinitatem usque colere, quacumque re, vel inanima, sese prodat, rectius autem in

animatis creaturis: Numen idem, eamdemque providentiam, licet ab omnibus aeque cultam, diversa tamen forma honoratam esse, prout Divinitatis diversae imagines inter gentes sint efformatae. Haec Plutarchus. Huic concinunt recentiores de Gentium moribus scriptores, qui affirmant - *Jerogliphica*, - quae *sacros nexus* licet interpretari, a novis nationibus frequenter usurpata deprehendi: quod et in Americanis gentibus detectum est (1). Nec a prima hominum simplicitate alienum videtur, quod *ense*, puta, bellum: *sceptro*, imperium: *flamma*, *oculo* descripto, Divinitas adumbretur (2). Eodem ferme pacto Aegyptii, *radios*, *pinnas*, *serpentes*, vitae, excellentiae, pulchritudinis Majoris Dei figuras habebant. Materiam *Isidis*: naturae vim *Osiridis* nomine venerabantur. Ex utrius-

(1) *Conquet dù Mexique liv. I. Conq. dù Perou.*

(2) Pluche *Histoire dù Ciel* Goguet *liv. 2. c. 14.*

que conjunctione *Orum* id est Mundum creatum putabant (1).

Jam, si libeat in signa hujusmodi oculos convertere, facile erit deprehendere multa rectius de Majori Deo Aegyptios sensisse, quam ceteros. Ipsis enim praepotens Deus *nefos*, id est obscurus, mortaliumque intelligentiae impervius dicebatur. Numinis imaginem praeseferebat homo vitta oculos circumdatus, incomprehensibilis naturae signum, atque ore praemostrans *ovum*, primum nempe Mundi semen (2). Eadem designabant ceterae Aegyptiorum Divinitates, quarum caput *circulus*, aut *sphera* exornabant *radiis*, *pinnis*, *colubribusque* praecincta, vitae, excellentiae, perfectionis Majoris Numinis figura. Ex his juvat jam noscere Aegyptios arcanam, perfectissimam, omnium creatricem Majoris Dei sensisse naturam, quae ex materie, na-

(1) Pluche *L. c.*

(2) Plutarchus *de Iside*, *et Osiride*.

turali quadam vi calefacta, Mundum efformasset. Gravius hoc profecto de Deo, quam ceterae (Sacrum Populum semper excipio) Gentes, putabant Aegyptii; sed nec de animorum natura infirmiora habebant, dum eos aeternos, poena, vel praemio post mortem afficiendos, signis praedicabant, quae Philosophi reperiunt expressa Eumenidum, Parcharum, Charontis formis, quas Pyramides praeseferebant, maxime vero mortuorum judiciis, de quibus postea dicemus.

Verum haec adumbrata modo externa Religione vix vulgus noscebat. Summus divinae disciplinae thesaurus reconditis templorum penetralibus asservabatur. De exquisitiori hujusmodi Theologia multae doctorum hominum pervagantur sententiae, quae cunctae inter se constarent, si manerent adhuc libri, quos de Aegyptiorum Religione Manecton, Cheremenesque conscripsere. Nunc vero quisque cogitationes suas arcana disciplina hujusmodi contineri contendit. Hinc sunt,



qui majores Aegyptiorum Sacerdotes Atheos plane fuisse propugnent. Alii e contra ingenio nimium indulgentes, intempestiva pietate moti, ipsa fere augustissima Christianae Religionis mysteria Aegyptiis arcanis enucleata ostendant. Medii inter hos arbitrantur sacris hisce concludi non ignobiles de Deo, animique natura sententias, unde omnis Aegyptiae Religionis causa, figuris sepositis, constaret (1). Postremum hoc, si quid minus temerarii in re obscurissima dici potest, vero similius existimem.

Nam, ut praeteream augustam illam Isidis vocem, quae templo Memphytico prostabat inscripta - *Quidquid fuit, est, erit, Ego sum, peplumque meum nemo submovit* -: in comperto apud doctos manet Isidis mysteria Graecis recepta fuisse, mutatoque tantum nomine *Eleusina* arcana ab his venerata (2). Quid his con-

(1) Confer Agatopistum *Dell' Istoria, e dell' Indole d' ogni Filosofia cap.* 13. *v.* 1.

(2) Diod. Sic. *Lib. I.* Appolejus *de Asin. aur. lib. XI.*

tineretur disputent inter se, ut lubet, Archeologiae scriptores, nos Tullii auctoritatem libentius sequamur, qui ut res profanis interdicta ferebat, subobscure quidem, non adeo tamen ut inde accuratus lector certam sententiam non hauriret, ea postquam sancta, augustaque dixisset, momentosissimis his verbis describit (2) - *Mihi* (sic Attico Tullius) *cum multa eximia, divinaque videntur Athenae tuae peperisse, atque in vita hominum attulisse, tum nihil melius illis Mysteriis, quibus ex agresti, immaniquae natura exculti ad humanitatem, et mitigati sumus: initiaque, ut appellantur, ita revera principia vitae cognovimus, neque solum cum loetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi*. -

Mira profecto scientia, qua, perillustri Philosopho docente, vitae principia, unde in terris felicitas, post mor-

(2) De Legibus *lib. II.*

tem spes altior hauriretur, tradebantur! Hoc qui consequi potuisset, nisi Numero aliquod, summum, providum, justissimumque Mysteriis hisce coleretur, quod postquam cuncta lustrasset, providentia sua regeret, bene, vel male merentes praemio, vel poena afficeret? Non hic plura sequar, ne divinari et ego videar, referam modo augustum carmen, quo Cererem Eleusinis, Aegyptiis, Isidem gloriantem inducit Appulejus (1), ut magis Divinitatis, quae Mysteriis venerabatur, natura innotescat. - *En adsum* (sic Dea) *tuis commota Luci precibus, rerum natura parens, elementorum omnium domina, seculorum progenies initialis, summa Numinum, regina Manium, prima Coelitum, Deorum Dearumque: facies uniformis, quae Coeli luminosa culmina, maris salubria flamina, Inferum deplorata silentia, nutibus meis dispenso. Cujus Numen unicum, multiforme, specie, ritu vario,*

(1) De Asin. Aur. *Lib. XI.*

nomine multijugo, totus veneratur Orbis. Inde primigenii Phryges Pessinunticam vocant Deum Matrem: Autochtones Attici Cecropejam Minervam: Cyprii Paphiam Venerem: Cretes sagittiferi Dyctinam Dianam: Siculi trilingues Proserpinam: Eleusini vetustam Deam Cererem: Junonem alii: alii Bellonam: alii Hecaten: Rhamnusiam alii: et qui nascentis diei solis illustrantur Aethiopes radiis, priscaque doctrina pollentes Aegyptii, coeremoniis me propriis percolentes, appellant vero nomine Isidem. –

Sed haec utcumque existimata erunt, illud perpetuo manebit, moribus, et Religione ita Aegyptios conformatos fuisse, ut saniores, mitioresque leges, quam quae aliarum Gentium tunc temporis essent, apud eos juberi valuissent. Reapse ab divina mente orta jussa reputabant Aegyptii, atque inde Populus ea sanctius servabat: quodque Minos Crete, Pythagoras Crotonae, Pompilius Romae, de Jovis, Inferorum, Egeriae monitis fabulaban-

tur callide, nullo studio suadebatur Aegyptiis, qui tot Deorum sacra curiose celebrabant. Vulgata itaque apud hos fama ferebat Mercurium quemdam nomine *Thoyth*, et literis, et legibus Aegyptum donasse. De hoc Mercurio ita Tullius (1) - *Quintus* (Mercurius nempe) *quem colunt Pheneatae, qui Argum dicitur interemisse, ob eamque causam Aegypto praefuisse, atque Aegyptiis leges, et literas tradidisse. Hunc Aegyptii Thoyth appellant, eodemque nomine anni primus mensis apud eos vocatur.* - Haec tamen eruditis viris satis non sunt: hinc multae inter hos de Mercurio Aegyptio controversiae excitatae. Principio namque Mercurii duo his agnosci volunt, quorum alter *Thoyth*, vel *Theuth* appellatus, qui leges humanioresque artes docuit: alter, qui haec vetustate temporis oblita penitus, ac deleta restituit, *Trismegistus* nomine decoratus (2). Amoenissima dein de ejus per-

(1) De Natura Deor. *Lib. III.*

(2) Mosemius *in Cudvort System. Intellect. cap. IV. §. 18.*

sona dicuntur. Aliis enim *Adam*, aliis *Enoc*, sive *Joseph*, sive Canaan dictus (1). Artapanus apud Eusebium eumdem *Moisen* putavit. Sunt, qui ipsum Mercurium Gallum alio nomine Aegypto veneratum dicant (2). Nec desunt denique qui praeclarum hunc Deum hominum commentis, fabulisque adscribant (3).

Non his longius graviora morer, otia in haec absumat sua, cui salebrosum quidquid, etsi jejunium, exileque inquirere cordi est. Ego vero id unum arbitrer fuisse reapse praeclarum quemdam virum, qui quum artibus, jure, Aegyptum sapienter instruxisset, post mortem, Popularium amore in Deorum numerum ob eximia facinora relatus sit. Hoc quippe frequentissimum apud veteres tradit

(1) Kircher *Oedip. Aegypt.* T. Galeus *Philosoph. gen.* Bochart. *Phaleg. Part. I. cap.* 2.

(2) Christoforus Griesgman *De German. Gent. Orig. et Condit. Hermete Trismegisto*.

(3) Ursinus *De Merc. Exercit.* 1. Conringius *De Hermete medico*.

Tullius (1) - *Suscepit autem* (inquit Balbus) *vita hominum , consuetudoque communis , ut beneficiis excellentes viros in Coelum fama ac voluntate tollerent: hinc Hercules : hinc Castor , et Pollux : hinc Aesculapius: hinc Liber etiam*. - Celeberrimum Legumlatorem Hermetem Trismegistum consecuti sunt *Menetes*, tum Aegyptiae potentiae et gloriae propagator *Sesostris* , *Boccoris* , qui privati juris auctor fertur , *Asichis* , *Amasisque* , prout temporum opportunitates flagitarunt (2) .

Sat haec de juris conditoribus : jam leges aperiamus , quibus Aegypti monarchia regebatur . Has nos ex veteribus scriptoribus , maxime Herodoto , Diodoro Siculo, Strabone eductas , privato studio antiquioribus quibusdam vocibus , quod solemne in legibus sanciendis dicit Tullius (3), expressimus , ac quinque Tabulis complexi sumus . Prima , et altera de

(1) *De Natura Deorum Lib. II.*
(2) Diod. Sic. *Lib. I.* Strab. *Lib. X.*
(3) *De Legibus Lib. II.*

privato jure: tertia, et quarta de pubblico: postrema de religiosis statuit.

De personarum statu, juribus, contractibus, aliisque sollicita est

TABULA PRIMA

I.

NUPTIIS INEUNDIS QUINITRIGENARIUS ANNUS JUSTUS ESTO.

II.

UXORES QUOT VOLET QUISQUE HABETO, NISI QUI SACRIS DICATUS SIET: HUIC UNAM MODO DUCERE FAS ESTO.

III.

FRATRI CUM SORORIBUS CONNUBII JUS ESTO.

IV.

NULLUS SPURIUS INJUSTUSVE FILIUS PATRI HABETOR.

V.

NATOS EXPONERE NEFAS ESTO.

V I.

SI PARENTES LIBEROS MORTI DUERINT, TRIBUS DIEBUS EXANIMES COMPLEXOS TENENTO.

VII.

MULIER PRAEGNANS NOXAM, QUAM FECIT, NISI PARTU EDITO, CAPITE NE LUITO.

VIII.

SI QUI NOMEN CONDICAT, DEBITORIS JUREJURANDO STLIS DECIDITO.

I X.

FOENUS DUPLUM SORTIS NE EXCEDITO.

X.

DEBITOR, QUI SATIS NON FACIAT, PATRIS CADAVER CREDITORI PIGNORI DATO, EUMQUE DONICUM SATIS FACTUM ESCIT, NE RECUPERATO.

X I.

FURARI, NISI EI, QUI APUD PRINCIPEM FURUM PROFESSUS SIET, NEMINI FAS ESTO.

XII.

ABLATA RES PRINCIPI FURUM DEFERTOR, DOMINUS SI VINDICET, QUADRANS PRETII SOLVERE DAMNAS ESTO.

XIII.

MEDICUS CORPORA CURANDO MEDICINAM, QUAE SIET, NE MUTATO, SIQUE AEGER NOVO MEDICAMINE INTERIERIT, PARRICIDA ESTO.

De connubiorum jure primo loco agitur quando conjugum societas societatum omnium fundamentum est. Hinc Civitates natae, hinc auctae, et perfectae sunt. Principio sera venus statuitur, quod tum sobolis institutioni, tum corporis firmitati apprime convenit. Non haec de annorum numero disputo, verum de legis consilio. Sane nuptiarum immaturitas parum pubblicae utilitati inserviat, quando rudes, ferventique adolescentiae impetu acti Parentes, liberos, quos susceperint, nec apte regere, neque ad Rempublicam informare valeant. Ad hoc, ipsi, qui

acerbae adhuc veneri operam dederint, fractum, enerve, ac brevi interiturum corpus Societati relinquant. Praeclare quippe a rei physicae scriptoribus traditum est, sanitatis, longaevitatisque principium a fibrarum dexteritate, et robore arcessendum esse. Jam vero immatura venus quantum solidorum firmitati, tam in masculis, quam in feminis, adversa sit perdocte ostendit medicinae decus, Fridericus Offmannus (1). Hoc vitarunt probe Germani, validissimum nec non longaevissimum hominum genus, de quibus Tacitus scripsit - *Tarda illis venus*, *ac pares*, *validique miscebantur* - et Lacedaemonii, qui nuptias inire ante V. supra XX. aetatis annum neminem sinebant: quo tempore utriusque substantiae, qua homo constat, perfectionem contingere veteres Physici docuerunt (2).

(1) *Dissert. Physico-Med. I.* §. 39.
(2) Galenus *Lib.* ε ἀφορισμῶν.

Plures uxores simul habere, quod Graeci πολυγαμιαν dicunt, lex sinit omnes praeter Sacerdotes, quibus unam modo ducere permittit. Passim id in Orientalibus regionibus jure cautum invenitur, licet in Occidente rarius polygamia statuta deprehendatur, veluti de Graecis animadvertit Petrus Faber (1), de Germanis, Tacitus (2), ac de Romanis res est explorata (3). Ceterum polygamia, quum necessario sobolis bono adversa non sit: nam ex ea proles certa habetur, quod secus est in polyandria, quam tamen divinus Plato in sua Republica probavit: nec primario Naturae juri contraria existimanda est, quae, si esset, numquam ab ipso Naturae Auctore dispensari meruisset Lege veteri, quod sacrae Literae ostendunt. Multa sed Polygamiae

(1) *L. 2. Semestr. 1.*

(2) *De Moribus Germanorum.*

(3) *Leg. 2. Cod. de Incest. nupt. Leg. 18. Cod. ad Leg. Juliam de Adulteriis.*

insunt incommoda, quae una divina vi tolli posse, cordatus quisque consentiat. Nam conjugalis amor tot intentus uxoribus, vel friget in omnes, vel in unam modo delabitur: hinc aliae, vana libidine incensae, invidia in dilectae sobolem rapiuntur, eique damna moliri non desinunt: atque ita crebris. odiis, rixisque familia exasperata, prolis bonum, ut plurimum, curare non potest. Mala hujusmodi Aegyptii tantum a Sacerdotibus removerunt, quos aliter, divinae rei operatos, et castiores, et a domesticis curis expeditiores esse decebat.

At non facile alteram legem suadeas, qua nuptiae inter Fratrem, et Sororem justae habentur. Ipse naturae sensus ab hujusmodi conjunctionibus abhorret quammaxime, quum fere nemo sororis suae, formosissimae licet, concubitum appetat. Ad hoc, hominum consensus incestuosos hosce complexus exsecratur, quod veterum Tragoedia probat, quum incestuosos hujusmodi, cognito dedeco-

re, in se furentes inducit. Hinc apud plerosque Graeciae populos conjunctiones hae propudiosissimae habitae sunt (1). Eadem Plato, ac Tullius sensere, qui eas (2) - *nefarium stuprum* - appellat. Postremo expedit Reipublicae, ut hominum amicitia latius usque diffundatur, extraneorum cognationibus, quae ex nuptiis oriuntur, quibus hominum genus, societati accline natura, arctiori vinculo inter se copulatur. Quamobrem, ni vehemens necessitas urgeat, quae, puta, Mundi primordiis fuit, matrimonia haec infamia reputanda sunt. Si quid tamen pro Aegyptiis dici potest, exempla sunt Numinum, quae colebant, Saturni, Jovis, Osiridis, quos Opin, Junonem, Isidem, germanas suas uxores duxisse fabulae narrabant. Falsa itaque Religione, uti pleraque dedecora, et hoc flagitium invectum est.

(1) Alexander. *Gen. Dier.* 24.
(2) *De Divinatione Lib.* 1.

Quarta lex insontis poenam adimit, tum hominum coercet lasciviam, cui immodestiae suae onus imponit, agnitione liberorum, quos extra jus quaesivit. Divinae dein leges tres sequuntur, quibus Parentum immanitas coercetur, tum et ejus, qui in utero est, saluti consulitur. Hic vero Aegyptiorum jus ceterarum Gentium instituta longe antecellit. Sane Parentum imperium, quod natura ipsa sobolis bono induxerat, nonnulli Populi in Tyramnidem verterunt, rati patrium jus eodem ferme modo, quo dominicum, regendum esse. Nemini obscura Persarum asperitas, qui liberis tamquam servis utebantur, adeo ut filiorum obsequium eo uno valde commendaretur, quod horum nemo repertus esset, qui Parentem sponte occidisset (1). Atheniensibus quamvis tanta non licerent, licebat tamen liberos abdicare, et, quod

(1) Aristotel. *Ethic. Lib.* 8. *cap.* 10. Herodot. *Lib.* 1. Stobaeus *serm.* 42. Brisson. *de Regno Pers. Lib.* 2.

crudelius, infantes exponere, quod ex multis Comicorum locis innotescit (1). Saevum vitae, necisque jus veteribus Gallis fuisse testatur Caesar (2). Tandem Romani hac re cunctarum Gentium feritatem superarunt, quibus ex Romuli lege filios pignori dare, tertium vendere, ac etiam occidere permissum est. Quae quidem rationis obrobria, et in XII. Tabulas immigrarunt: Tabula quippe IV. jussum erat -

- *Endo liberis justis jus vitae et necis, venumdandique potestas esto* -

- *Si pater filium ter venumduit, filius a Patre liber esto*. -

His vero omnibus sapientiores Aegyptii praeclare secum reputarunt homines, non a Parentibus, sed ab Naturae Auctore pendere: Parentibus quidem sobolis bonum ab ipsa Natura injunctum, hinc eis quoque imperium aliquod, ut hoc

(1) Terentius *in Hauton. Act. 4. sc. 1.* Aristophanes *in Ranis*.

(2) De *Bello Gallico Lib. VI.*

curarent, elargitum esse. Patriam itaque potestatem eam modo probarunt, quae prolis commoda promoveret, non quae saevissime naturae opus abjiceret, atque destrueret. Quare liberorum expositio primo loco vetita est. Si quis vero adeo naturae immemor extitisset, qui filium suum obtruncaret, lex jubet efferatum Patrem, qui partem sui interimere haud horruisset, filium mortuum tribus diebus complexum tenere; nimirum, ut qui de substantia sua tam inique judicasset, idem, amplexu miserabili, et sani, et tabescentis corporis vices experiretur, atque ita facinoris sui conscientia usque divexatus, haud diversam interfecti filii sortem supplicio inveniret.

Quod de praegnante muliere, morti damnata cautum est, ne ante partum vitam amittat, id nascituri consulit incolumitati, cui maternus casus nocere non debet. Simile quid sanxit Numa de praegnante mortua, quam sepeliri, nisi exciso utero, vetuit, uti refert Marcellus (1).

(1) *Leg.* 2. *Dig. de mort. infer.* Vid. Anton. Au-

Legis humanitas aequitasque, lucet ipsa per se.

Jam de contractibus lex adest, quae creditas res spectat, qua debitoris jurejurando lis absolvitur. Mirum id profecto fidei indicium est, quod sanctam praesefert Populi religionem. De perjurio, tum popularium mores, tum capitalis poena, ut infra videbimus, dubitare non sinebant. Displicet vero maxime immodicum foenus a lege permissum: hoc enim Aegyptii longe superarunt Graecos et Romanos, apud quos lex erat - *Si quis unciario foenore amplius foenerassit, furtum quadruplione luito* - (1). Peculiare tandem est de pignore inventum, quod Asichi Regi tribuitur, quo nihil firmius Aegypto esse poterat ad fidem servandam; quando suorum cadavera vita ipsa cariora habebant Aegyptii, adeo ut improbus putaretur, qui, solvendi mora, Patris sui corpus

gustinum *de Leg. et SC. p.* 130.

(1) Confer Gravinam *Orig. Jur. Lib. II. cap.* 47.

apud alios esse pati posset. Id multo felicius mitissima in gente processit, quam Romae dirissimum Creditorum jus, XII. Tabulis sancitum, quod saepius feritate sua populum ad arma, secessionesque concitavit, veluti ex Livio habetur.

De privatis delictis curat lex, quae furandi rationem moderatur. Nil habeo sane quo haec defendam; nec enim in re turpi natura movear auctoritate Lycurgi, qui Lacedaemone furta impunita reliquit, ratus pueros furandi dexteritate aptius ad militares insidias informari; cui contra Draconis opponi posset severitas, qui furtorum genera omnia morte mulctavit (1). Diodorus tamen, qui haec refert, addit Aegyptios, quum furandi licentia compesci non posset omnino, curasse, quo malum hoc minus laesisset, quod effectum, professione Furis, ac rei restitutione, quadrante modo detra-

(1) Petit. *Ad Leg. Attic. VII. tit.* 5. Gellius *Lib. XI. cap.* 18

cto, quasi negligentiae poena, qua plecteretur is, qui a furibus probe notis satis non cavisset. Quod arrisisse video Seldenio (1), ac Scharrochio (2), qui Aegyptiam legem ex dominii eminentis, quod Summae Potestatis est, jure temperant, defendunt. Sed non facile nobis suaserint juris ejusdem, quod ex publica necessitate una emergit, usum Aegyptios recte statuisse, in quorumdam Saccula- riorum vafritie confovenda, praesertim quum negligentiorum hominum ipsa natura poena sit, fortunarum suarum imminutio, atque clades, qua perpetuo afficiuntur, quin legis asperitas accedat (3).

Postrema lex sequitur, a Medicis maxime exagitata, qua contendunt humanissimae artis progressus inscite praepeditos fuisse: artes quasque, maxime Me-

(1) *De Jur. Nat. et Gent. Lib. IV. Cap.* 2.

(2) *De Offic. sec. J. Nat. Cap.* 2.

(3) Plura de hac lege quaerentes delegabo ad *Q. Septim. Flor. Rivini* Dissertationem *De retentione Quadrantis ex furto apud Aegyptios* -

dicinam, longo usu, et naturalium rerum observatione, usque perpoliri: inde inventa adduci, quibus ad scientiae fastigium perveniatur. Ad hoc, morborum, naturam, causasque in infinitum variare, nec omnia, antiquis regulis posse comprehendi. His plaudit Aristoteles, qui Aegyptiorum morem barbarum, atque inhumanum appellat. Alii e contra Aegyptiorum sapientiam hoc uno quammaxime extollunt, quod hominum vita per eos a Medicorum temeritate, atque inscitia defensa sit. Nam, sicuti Plinius advertit, *uni Medico hominem occidere impune est*: ut hoc vitarent, recte Aegyptios cavisse, ne Medicis liceret ab Hermetis doctrinis, aliisque remediis, quae, cum usu comprobata fuissent, Aesculapii templo inscripta prostabant, recedere: Empiricae Medicinae satius esse homines credi, quam aliorum commentis: sique Empirica deficiat, naturae potius aegrotos linquendos.

Non ego is sum, qui tanta haec valeam componere ; dicam id tutius Aegypto, quam alibi juberi potuisse, quando Aegyptii victo modestissimo utebantur, tum, si Diodoro fides est, quoque mense corpus purgabant ; quare morborum natura causaeque simpliciores, quam alibi, esse debuerunt, ubi vino, ciboque abundatiori, multiplicique, sanitas undique periclitatur (1). Ceterum, si Aegyptiorum severitas displiceat, certe cordatus quisque arbitretur Medici imperitiam poena plectendam esse, quoties medicaminum, quibus usus est, ratio nulla reddi potest. Perbelle quippe Ulpianus ait (2) - *Sicuti Medico imputari eventus mortalitatis non debet, ita quod per imperitiam commisit, praetextu humanae fragilitatis deli-*

(1) Facete quidem, at vere Seneca romanae luxuriae objurgator - *Multos*, inquit, *morbos multa fercula fecerunt, et simplex morbus ex simplici cibo. Innumerabiles miraris morbos? numera coquos* - His adde Macrob. *Saturn. Lib.* 7. *Cap.* 28.

(2) *Leg.* 6. *Dig. de Offic. Procons.*

ctum decipientis, in periculo hominis, innoxium esse non debet - Idem et Francorum moribus servatum esse probat Paponius (1), qui refert Judicio Parisiensi Medicum postulatum fuisse, quod aegrotanti potionem quamdam solito graviorem dederat, atque Judicum sententia, ea quidem vice, absolutum abiisse, sed severiori interminata poena, si eodem medicamine in posterum usus esset. Verum his certe non indigeamus, quoties docti, probique viri modo sacrum hoc in collegium adsciscantur: quod lege primo curandum est. Sed jam ad judicia progrediamur, de quibus ita habet

TABULA SECUNDA

I.

NE QUEM, NI SAPIENS, PROBUSQUE FUAT, JUDICEM ELIGITO.

II.

SERVI, INOPISVE, DOMINUS, ASSIDUUSVE JUDEX NEC ESTO.

(1) *Lib.* XXIII. *Tit.* 8. *Art.* 1.

III.

JURI DICUNDO XXXVIRI EX PRINCIPIBUS URBIBUS CREANTOR.

IV.

SALARIA JUSTA SUNTO : REDDITI JURIS MERCES NULLA ESTO.

V.

ORATORES IN JURE ESSE PROHIBENTOR: SCRIPTIS CAUSAS CONSCITO.

VI.

PRAETOR VERITATIS FIGURAM COLLO GESTATO, EAQUE VICTOREM DESIGNATO.

Brevis, Hercle, lex, at sapientiae plena: Primo namque litigatorum fiducia, dein veritatis detegendae commoditas: postremo Sententiae integritas, sanctimoniaque mire curatae sunt. Sane qui in jus veniunt Iudicum cupiditates vel maxime timent, si hae ob Judicum mores minus verendae sint, impar tamen Judicantis conditio molestiam aliquam judicio ingerit, quum quis facile contemni

posse arbitretur. Jam vero his terroribus large Aegyptii Cives suos vindicarunt electione Judicum, qui et moribus, et doctrina praestarent, quique omnibus aequos se praeberent: quod ut commodius procederet, rectissime Judices ex universo Imperio creandos jusserunt. Ad hoc, ne muneribus, quae, ut Sacrae docent Literae, etiam *oculos sapientium excoecant, et mutant verba justorum* (1), probi corrumperentur, divina ferme lex illa jussa est - *Salaria justa sunto: redditi juris merces nulla esto* - qua Iudicum decori, ac litigatorum securitati consultum, quum et illorum indigentia amota, et largitionis studium, quo potens adversarius certare posset injuria, sublatum est.

Praeterea Oratorum fallaciae, quae aliquando justitiae fucum facere possunt, sapienter a jure proscriptae sunt. Haud rara enim exempla sunt iniquissimorum judiciorum, quae verborum flumine, vo-

(1) *Deuter. XVI.* 19.

cis, gestusque contentione solertissimi Oratores provocarunt Hinc Lycurgus hujusmodi homines e Republica sua extorres fecit: Athenienses perorandi facultatem eisdem ademerunt. Rectius Aegyptii scriptis causas agi jusserunt. Accurata namque negocii cognitione, calliditas quaeque, atque falsitas dicendi celari non potest: tum Judex, instructissimi Oratoris praesentia liberatus, nil, nisi quod justum, injustumve sit noscere curat, sique id obscurius evadat, aliorum etiam prudentum virorum sententiam sciscitari haud impeditur.

Solemnis denique, augustaque forma reddendi juris servatur, qua simul, et sententiam dicentis, et Partium fides magis adstringatur. Conspicuus enim Judicii Princeps, quem nos, romano more, Praetorem appellamus, Veritatis imagine decoratus, hoc uno litigatorum fiduciam sibi comparabat, tum judicii exitum sanctiorem efficiebat. Legitimo enim ritu figuram ei, qui vicisset, admovendo,

significabat non ab hominum mentibus, sed ab veritate, Supremo Numine, sententiam profluxisse; quod religiosissimo in Populo sat erat, ne jus per Judicem laederetur, qui sacrilegio se obstrinxisset, si sacra imagine, non ad jus vindicandum, sed ad injuriam usus esset, neve victus queareretur, qui Numinum voluntati obtemperandum putabat. Ita Aegyptiis judiciorum severitas curata est paucissimis sanctionibus, quae supersunt, adeo ut aliarum, quae perierunt, desiderium augeatur; quum econtra pigeat superfuisse eas, quae XII. Tabulis constitutae sunt de *in Jus vocando*, de *Vindicibus*, *Obvagulatione*, ac (quod horrendum) *Debitorum trans Tiberim venditione*, *sectioneque*, unde perenne romanae feritatis ad posteros testimonium permanavit.

Nunc jus pubblicum Aegyptiorum adeamus. De civilium Potestatum ordine, rerumque publicarum partitione, ceteris prolixior habet haec

TABULA TERTIA

I.

LEGE NIL MAJUS ESTO.

II.

GENERI GRATIA NULLA HABETOR: VIRTUTE QUISQUE CONTENDITO.

III.

PENES REGEM SUMMA POTESTAS ESTO.

IV.

SECUNDUM HUNC SACERDOTES: TERTIO MILITES SUNTO.

V.

REX LEGI OBTEMPERATO: EIQUE NAVI MAGISTRI, AULICIQUE ADSCISCUNTOR.

VI.

HUNC SACERDOS QUAQUE LUCE MONETO: BENEFACTA VIRORUM LAUDATO, MALEFACTA VITUPERATO.

VII.

STUDIA, VICTUS, SOLATIA REGI JUSSA SUNTO.

VIII.

HAEC SI NEGLIGET, POSTHUMIS TENETOR.

IX.

SACERDOTES REGEM IN REPUBLICA GERENDA CONSILIO JUVANTO.

X.

RELIGIONIS, SCIENTIARUMQUE LIBROS CUSTODIUNTO: HIS REMP. MODERANTOR.

XI.

MODIS, PONDERIBUS, A. A. A. F. F. NEXUIQUE PRAFICIUNTOR.

XII.

VECTIGALIBUS IMMUNES SUNTO.

XIII.

MILITIBUS JUGERA XII. TRIBUTIS IMMUNIA RELINQUUNTOR: PANIS LIBRAS V. CARNIS LIBRAS II., VINIQUE SEXTARIUM SINGULIS IN DIES DATO.

XIV.

PACE, CORPORE EXERCENTOR.

XV.

RELIQUI VEL PECORA, VEL AGROS, ARTESVE CURANTO.

XVI.

QUISQUE CENSU NOMEN, VITAE RATIONEM, BONA PROFITETOR. INFICIATOR, TURPISVE QUAESTUS CONFESSUS, CAPITAL ESTO.

XVII.

PROLETARIO DEDECUS ESTO.

XVIII.

NE QUIS DE CONDITIONE, QUAE EI SIET, QUIDQUAM MUTATO.

XIX.

PATER FILIO ARTEM SUAM PERPETUO TRADITO.

XX.

UTI NILUS ASSURGAT PUBLICUS MODUS METITOR.

XXI.

FLUMINE REDUCTO, INUNDATIONIS MODUM PROVINCIIS MANIFESTATO.

XXII.

REGNI FRUCTUS TRIFARIAM HERSCISCITOR: PARS REGI: ALTERA SACERDOTIBUS: QUAE SUPEREST MILITIBUS ADDICITOR.

Principio Aegyptii aequissimi, nec non firmissimi Imperii fundamenta jecerunt, legem, atque honestatem. Huic merendi, illi imperandi vis attributa. Generis gratia sapienter amota; quemquam enim propria, non Majorum virtute niti decet, quin immo sollicite curandum est ne ingeneratae virtutis opinione flagitiosus quisquam ad injuriam, socordiamve utatur. Idem curarunt Sinae apud quos avitus honos ignotus. Haec dum audio videtur jam mihi illa usque in terris frustra expetita Civitas Platonica adumbrari, qua unum legis, id est, rationis imperium statuitur. Quid enim aliud lex est, docente Tullio (1), quam - *Naturae vis, mens ratioque Prudentis, juris, atque injuriae*

(1) *De Legibus lib. I.*

regula ? - Quae quidem ratio, semel in homine confirmata, et perfecta, ne pravarum cupiditatum aestu concideret, ideo pacatae Legis auctoritati concredita est. Hinc veritatis, sapientiaeque certissimum testimonium hujusmodi apte a Demosthene dictum accepimus ευρημα, και δορων Τεϰ - inventum ac munus Dei.

Sed summa Civitatis potestas, unde leges in bonum universorum descendant, in unum collata est, qui Rex dictus. Verum, ne is longissimo intervallo a Plebe distaret, huic statim Sacerdotes, tertio Milites adjecti sunt, qui honoris praerogativa donati, nimium Regni splendorem temperabant, molliterque in reliquos Principis auctoritatem demittebant. Praeterea Legis imperio Rex primo adstrictus, atque ita temperata, commodiorque Reipublicae species statuta est; nulla namque regiminis forma aptior dari potest, quam unius dominatus, ubi legibus famuletur, quibus si omnino solutus sit is, qui rerum summa potiatur, facile si

quando mala cupiditas flagret, potentiae suae limites excedat, ultra quos semel progressus, de uno in alterum prolapsus malum, aliorum bona, vitam pravae lubidini immolabit. Quae pestilentissima exempla imitati Cives, legum auctoritate despecta, ut Tyramno blandiantur Reip. statum concutant, atque pessumdent; praeclare enim docuit Tullius (1). - *quaecumque mutatio morum in Principibus extitisset, eamdem in Populo secuturam* -

Haec antea senserat Plato (2), qui interitum ei Reipublicae praedicebat, ubi non lex Principi, aut Magistratui praeesset: salutem vero illi, ubi lex, servientibus Magistratibus, dominaretur. Chrisippus, Pindarusque eadem secuti, legem omnium ducem, mortalium, atque Immortalium Reginam magnifice praedicabant. Tandem Augusti per-

(1) *De Legibus lib. II.*

(2) *De Republica lib. IV.*

belle in *Lege* 3. *Cod. de Leg.* legis praestantiam ita extulere - *Digna vox est* (inquiunt) *majestate Regnantis legibus alligatum se Principem fateri, adeo de auctoritate juris nostra pendet auctoritas, et revera majus imperio est legibus submittere Principatum* - Neque ipsum Principem expedit, legum vincula, nisi aliter publica salus flagitet, quae suprema lex est in Civitate, excutere; quum illud inter omnes constet Tyrannidem eisdem artibus, quibus usurpata primum fuit, interire: rectissimeque Spartanum Theopompum feminae objurganti, quod regiam, quam tenebat, potestatem attenuasset, objecto Ephororum imperio, liberis suis imminutam auctoritatem relicturus, respondisse - *imminutam quidem, sed hoc ipso diuturniorem* - Quidquid enim dominatui detractum erat, securitati Regnantis adjectum probe intellexit.

Severa hujusmodi in Rege statuta prudenter Aegyptii suspicati sunt facile

contemptum iri, nisi moribus supremi Dominantis sustinerentur; quare Principis institutioni lege consulendum duxerunt adlectione Familiarium, qui spectata fide, atque honestate ceteros anteirent. Recte enim Plato Persici Imperii ruinam mulieribus adscribit, atque Eunuchis, qui Cambysen a puero, dum Cirus bello procul detineretur, assentatione, pravisque consiliis, non ad prudentiam, sed ad amentiam, injuriamque informabant. Animis quippe tenduntur insidiae, vel maxime a Nutricibus, et Magistris, qui teneros, et rudes cum nos acceperint, inficiunt, et flectunt, ut volunt. Proba autem praecepta semel imbuta, ne animo postea exciderent, Sacerdotes curabant augusta quotidiana oratione, qua Regi apte virtutis, ac vitiorum exempla conspicienda proponebant, ut ab his se temperaret, alteram vero amplecteretur. Postremo, ne quid Princeps nimio studio sequeretur, eique dum totus incumberet, reliqua omitteret, est

lex quae regia studia victum, solatia moderatur. Intemperantiae enim tristiores exitus veriti sunt in eo, qui majori ope donatus esset ad libidines suas explendas: tum sacratissimae Regis vitae prospexerunt. Intemperantia siquidem, uti monet Tullius, - *corpus frangit*, *mentem deprimit*, *mortemque accelerat*- Reque vera ita his sanctionibus valetudinis cura emicuit, ut hae non a Legumlatore, sed a Medico peritissimo statutae viderentur.

His tamen officiis, quae legibus ingerebantur, si Princeps satis non fecisset, eum dum vita manebat, impunitum linquendum Aegyptii existimarunt. Absurdum enim eisdem videbatur, de eo judicium capi, penes quem summa erat Imperii potestas: quod a gravissimo Doctore animadversum est, qui docet interna modo, hoc est *conscientiae*, non externa, seu *coactiva* vi Regem teneri (1): tum aleae, periculique plenum opus Prin-

(1) S. Thomas *q.* 96. *art.* 5. *p.* 1.

cipem ad judicium accire, quod rei dignitas, majestasque invidiosum partium vero studia cruentum reddere poterant. At vero cum Princeps vita decessisset, tum, cupiditate quaque seposita, de ejus vita gravius, tutiusque inquirendum duxerunt: quod postea videbimus, quum de religiosis erit sermo. Nunc tamen Aegyptiorum sapientiam liceat nos admirari, qua, et Regni majestati, et civium saluti apte consultum fuit; quando veteres, etsi injusti, famam tamen, funerisque honores vita ipsa cariores habebant, quibus ne carerent, quum honestatis simulatione, et potentia malefacta sua celare non possent, firmius in officio, dum in humanis erant, continebantur.

Sacerdotum munia gravissima tum jura lege ita statuuntur, ut Religionis honos, Regni auctoritas, publica felicitas ex eis hauriantur. Quod enim Regem consilio juvent, id summam potestatem, unde cuncta in Civitate dimanant, instructiorem reddit, atque sanctiorem. Re-

cte apud hos sacri libri relinquuntur, quibus contra Regis temeritatem utantur, qui a Sacerdotum sententia recedens, Populi fidem servare non posset, his vero conjunctus, non humana modo, sed et divina auctoritate jussa sua muniet. Deinde Sacerdotum auctoritas modis, ponderibus, auro, argento, aere flando, feriundo, contractibusque praefecta, hominum commercia, sine quibus vita commode agitari non potest, divina sanctione undique a dolis, fraudibusque defendit. Postremo Religionis honos merito extollitur vectigalium immunitate, qua Sacerdotes donantur, qui sacris operati, hoc ipso in Reipublicae bonum maximum quid conferre consentur: quod multo, Hercle, aequius, altioribus e principiis haustum, nostri Pontifices vera in Religione sanxerunt (1).

(1) *Cap.* 4. 6. *de Imm. Ecl. Cap.* 1. 3. 4. *eod. in* 6.

Militum tertio succedit cura, qui pacifica etiam in Civitate praetereundi non sunt; arma siquidem eo paranda sunt, ut, sine injuria, in pace vivatur. Displiceat fortasse quibusdam perpetuas militias de publico sustentatas fuisse, etiam quum nulla belli necessitas urgeret: rectius, dicant, Romanos legionariis militibus usos fuisse, quos bellum cogeret, pax dissolveret. Verum isti non bene Democratiae leges Monarchiae attemperabunt, tum belligerae, atque pacatae Reipublicae regulas componant. Sane Aegypto militaris vis tantum ad injurias arcendas parabatur: Imperii felicitas, non in belli gloria, sed in rerum copia, commerciorum, artiumque facilitate, ac perfectione ponebatur. Haec ut assequi possent, oportebat quemquam in Civitate peculiari instituto inservire, nec mercatores, artificesque bello erant impediendi. Artes enim hujusmodi inter armorum strepitum penitus jacere ipsa romana Respublica edocuit, quae, summum militaris gloriae

fastigium adepta, artibus a victis populis informari debuit. Ceterum Aegyptii, ne milites hujusmodi Civitati incommodo essent, sat providerunt lege, qua, pacis tempore, milites corpore exerceri jusserunt.

E reliquo autem populo sapienter lex petit Imperii divitias, quum ceteros cives vel agrorum, vel pecorum procurationi, vel artibus adscribit, atque ita publicae, privataeque opulentiae fontes reserat, augetque. En insuper Rempublicam a faece hominum purgatam, quae segnitie, atque egestate, novis rebus confisa turbas undique ciere non desinat. Nemo Aegypto proletarius, miser, quando iners, segnis nemo esse poterat ex Civitatis lege. Quisque utili rei operatus, in Censum nomen, vitae rationem, bona profiteri tenebatur, ut Civitati privatorum opes innotescerent, atque inde justus tributa imponendi modus haberetur. Praeterea illud etiam cautum est, ne quis a vitae instituto, cui se semel addixerat unquam discederet, adeo

ut vitae ratio a patre electa in filios perpetuo transiret. Artium perfectioni consuluisse censuit Amasis Rex, qui tamen haud sensit ingenia non item ac bona a patre in liberos transferri, nec omnes aeque in eadem studia, artesque rapi, verum in his totam dominari naturam, cui lege resistendum non est. Hoc probe tenens Solon liberam artis electionem Atheniensibus reliquit. Providae, improvidaeque legis exitus cernimus posteri in Aegyptiarum, Graecarumque artium monumentis, quae supersunt, dum illa, perpetuis regulis mancipata, stupidas, inanimes, uniformesque rerum facies exhibent: haec vero, libero ingenio juvata, venustum, spirantem, multiplicemque Naturae aspectum referunt, aemulantur.

Est lex de Nili effusione metienda. Haec probe intelligatur quum notum sit Aegypti feracitatem ex Nili inundationibus manare. Felix quippe Aegypti regio rarissime inbribus contristatur, pro his, beneficentissimae Naturae opus, Nilus, qui

Abyssinorum plaga exortus, Aethiopes, atque Aegyptum peragratus, septemplici ore in Mediterraneum procurrit, ordinaria inundatione quotannis terram foecundat; recedens quippe fluvius mollitos, atque oblimatos agros ad serendum relinquit, unde eleganter canit Tibullus (1) -

Quid referam . . . . .

Qualis, et arentes cum findit Syrius agros,
   Fertilis aestiva Nilus abundet aqua?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
   Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.

Jamvero Agricolae longo usu comperiere messis ubertatem ab vario inundationis modo pendere. Hinc regio sumptu Memphi prostabat columna, quae varias fluminis excursiones designabat. Modum hunc lex jubet Provinciis manifestari, ut inde quantus ex terra fructus quoque anno esse possit antea innotescat, atque ita quisque rem familiarem consultius mode-

(1) *Elegor. lib. I. Eleg.* 6.

retur: Respublica vero ex Censu, futuraeque messis mensura quantum rerum, vel ab exteris comparare, vel e Regno mittere expediret providebat. Quod eximiam praesefert publicam curam, ne cives annonae caritate inconsulto laborent, neve copia obruantur: utrumque quippe commercio exitiale oeconomiae publicae Scriptores merito duxerunt (1).

Postrema lex publica bona in usus publicos modo dispertitur, nempe Regi, Sacerdotibus, et Militibus. Recte enim qui se totos Reipublicae dabant, ex publica re alendos existimarunt. Reliqui ex industria victum quaerebant. Aegypti Regnum amplam veluti familiam, prudentissime moderatam, conspiciendum sese praebebat. Verum haec bona maxima tutata sunt severiori Criminali disciplina de

qua statuit

(1) Confer Genovesi *Lez. di Com. Part. I. cap.* 18. §. 8.

TABULA QUARTA

I.

SI QUI PEJERASSIT, CAPITAL ESTO.

II.

SI QUI LIBERAM SOLUTAM VIOLARIT, FLAGITIUM TESTIBUS EXSECTIS LUITO.

III.

MOECUS MILLE PLAGIS CAEDITOR.

IV.

PELLEX NARIBUS MULCTATOR.

V.

ALEATOREM AD LATOMIAS DAMNATO. CUIVIS E POPULO ALEATORES ACCUSARE FAS ESTO.

VI.

SI QUI PERDUELLI REIPUBLICAE ARCANA MANIFESTARIT, LINGUAM AMITTITO.

VII.

MILITIAE DESERTORI INFAMIA ESTO.

VIII.

FORTI SANATI SIREMPS JUS ESTO.

IX.

EI QUI FALSUM IN NUMMIS, TABULISVE PATRARIT, UTRAQUE MANUS EXCINDITOR.

X.

SI QUI HOMINEM LIBERUM DOLO MALO MORTI DUERIT, DARIVE PRUDENS SIRIT, PARRICIDA ESTO.

XI.

URBS QUAEQUE CIVIUM VITAE CONSULITO: SIQUE HOMO VI MORTUUS EJUS AGRO INVENTUS SIET, URBIS SUMPTU CADAVER INUNGITO.

XII.

KALUMNIATORIBUS TALIO ESTO.

XIII.

QUI PARENTEM NECASSIT, CALAMIS CONFIXUM, RUBISQUE INVOLUTUM IN IGNEM CONJICITO.

Superiori Tabula, quam hactenus explanavimus; publica felicitas satis instru-

cta fuit: nunc eadem firmius munienda, simulque a morbis civile corpus praeservandum, vel saltem curandum est per poenas, quas morborum civilium, criminum nempe, remedia apte dixerunt Philosophi. His profecto non indigeat Respublica, qua, uti lex civitatem, ita singulos ratio moderetur. Verum ex animo, et corpore constans homo haud semper ita se contineat, ut *ratio praesit*, *appetitus obtemperet*, ceu monet Tullius *de Officiis*. Impotenti Naturae impetu homo in laetiorem, beatioremque rapitur fortunam. Voluptate, doloreve, trahitur, repellitur: spe, metu, exaltat, concidit: felicitati, id est bonorum naturae convenientium complemento totus studet. Hanc dum anxie persequitur, innocue quidem, quando natura, saepe eum sensuum vis transversum agit, rationis injuria. Hinc pugnantia, absurda, pravaque in Societatem erumpunt.

Praestans rationis vis homines a Naturae statu in civiles societates coegit, quo

ab injuriis securiores viverent, vitaeque commodis aptius fruerentur. Eadem docuit sine imperio, et legibus, quae civibus indigitarent ea, quae facienda, omittendave essent, ut publicum bonum assequeretur, nullam Civitatem consistere posse. Qui autem imperium, leges esse poterant, nisi homines inter se convenissent, voluntates suas summae alicui Potestati subjicere, quae cuncta pro civium bono juberet: ceteri supremis jussis obtemperarent, publicum bonum privato semper praelati? Haec fuere Civitatum initio: inde securitas, felicitasque gentibus quaesitae. Attamen, et Civitate composita, sensuum vis mortales exagitare non desiit. Hinc ubi quid, specie magis, quam re, optabilius, sensusque proxime pertingens bonum emergit, cui lex impedimento sit, statim in homine cupiditas micat illum assequendi, praestantiori quovis publico, sensuque remoto, bono seposito. Quem itaque rationis, conscientiaeque vox satis non moverat, sensibili, necessariaque vi,

dolore nempe, atque afflictione a maleficio dehortari oportuit: quod per poenas consultissime effectum est. Afflictando enim, cruciando, poenarum vis exseritur. Aliter sane cogitare, judicare, homines possunt: aliter vero ac sentiunt, sentire non possunt. Libertas in animo, motuum necessitas in corpore dominatur. Criminibus itaque satis occursum erit, si homines probe noscant, plus ex maleficio doloris, quam voluptatis habituros; tunc enim et rationis, et sensuum vis quemquam in officio continebit. Quod si poenae evadendae spes, improbitasve effera crimen impedire haud valeant, sontis supplicium asperitate sua noxium fortasse aliquando corrigat, ceteros vero ab imitando avertat. Prima sanciendi, altera exequendi poenas causa extitit. Ceterum ex publica utilitate jus hoc inter homines ortum spectandum: hinc fons, modusque poenarum hauriendus (1).

(1) Praeclare Tullius de Offic. lib. 1. - *Omnis*

Pauca haec de poenis attigimus, unde facile cetera deducantur. De delictis, ut sese res offerat, jam dicemus, criminalem Aegyptiorum disciplinam persecuti. Crimen utique mala res, Societatis bono perpetuo inimica, poenaque cohercenda; verum non omnia crimina eodem loco habenda. Sunt quippe quae plus, quae minus malitiae, damnique socialis secumferunt. Irridendi autem Stoici, qui omnia peccata paria reputabant - *Nec enim vincet ratio hoc, tantumdem ut peccet, idemque, qui teneros caules alieni fregerit horti, et qui nocturnus Divum sacra legerit*. - Salse more suo Horatius (1). Delictorum itaque plures gradus statuendi. Nos genus omne criminum, quae poenis mulctata apud Aegyptios accepimus, ita dispertiti sumus, ut primo quae *Religio-*

autem (inquit) *animadversio, et castigatio contumelia vacare debet, neque ad ejus, qui punit aliquem, aut verbis castigat, sed ad Reipublicae utilitatem referri*. -

(1) *Satyrar. lib. I. Sat. III.*

nem: deinde *quae bonos mores*: praeterea quae *publicam salutem*: postremo quae *singulos* laederent primario, traderentur.

A Delictis, quae Religionem violant Tabulam hanc auspicati sumus, quando pollutae Religionis crimen, omnium faedissimum est. Profecto si par nequitiae poena sumenda esset, nullam in humanis idoneam adinveniri datum esset. Sed non bene de interno malo in Civili Societate disputabimus, cui unum sociale damnum avertere per poenas propositum est. Impios itaque internae pravitatis suae condigna poena maneat per summum Naturae artificem Deum, qui humanae mentis latebras permeatus, noxam apte prehendere, tum divina vi severius plectere valeat. Nos hoc crimine, ethnica praesertim in gente, Societatis injuriam unam sectabimur. Quam quidem exstare maximam quis neget? Religionem siquidem firmissimum humanae Societatis esse vinculum quis non videat? quid enim ad hominum superbiam, contumeliam, indi-

gnationem compescendas aptius? quid ad animorum conjunctionem fovendam, socialesque virtutes omnes excitandas accommodatius Religione dari potest? Hoc gentes ferme omnes, licet inepta superstitione inquinatae, intellexerunt, quum harum nemo Religione carere potuit - *Si terras obeas* (inquit Plutarchus) *invenire possis urbes muris, literis, Regibus, domibus, opibus, numismate carentes: urbem templis, Diisque carentem nemo uspiam vidit*. Praeclare enim Tullius - *haud scio* (ait) *an pietate adversus Deos sublata, fides etiam, et Societas humani generis, et una excellentissima virtus, justitia tollatur*- Ubi ergo humana quaedam societas, ibi Religio aliqua necessaria omnino est.

Sed hoc delictorum genere, quod socialem spectat injuriam, excellet Perjurium, quo in dictorum, promissorumve testes Superos, fallendi animo, adsciscuntur, quod Aegyptiorum lege capite expiatum est. Summa profecto Jurisjurandi religio esse debet inter homines, quando nullum

ad adstrigendam fidem arctius vinculum dari potest. Quis enim non intelligit, dicam cum Tullio (1), *quam sancta sit societas civium inter ipsos, Diis Immortalibus interpositis, tum judicibus, tum testibus?* Qui autem fidem violat justitiam omnem pessumdat, cujus fundamentum est fides (2). Quod probe sensit Numa, cujus lege praeclare sancitum est - *Ut omnes Fidei Numen metuerent* - (3). Hinc gentes omnes perjurios exsecratae sunt. De Romanis hanc legem tradit Cicero de Legibus - *Perjurii poena divina exitium: humana dedecus esto* - quam legem tamen e XII. Tabulis, vel e romanis potius moribus Tullius confinxerit, disputant Eruditi (4). Verum Aegypto poena aliquanto asperior

(1) Tullius *De Legib. lib. I.*

(2) Id. *de Offic. lib. I.*

(3) Dionysius Halicarn. *lib. II.*

(4) Confer Gravinam *Orig. Jur. lib. II. cap.* 46. ibique Mascovium.

flagitium hoc insectatur, quando summus ibi Religionis honos, qua suprema potestas, vitaeque commercia undique munita sunt. Ad hoc, civium fortunae perjurio labefactari poterant, quod ex Tabula I. noscendum. Poenarum vero modum e loci maxime, aliisque Reipublicae opportunitatibus pendere quisque videat, quum noscat utilitatem publicam uniuscujusque gentis propriam esse: hinc autem poenas derivandas jam diximus (1).

Religionis injurias proxime sequuntur injuriae bonorum morum, quos publicae tranquillitatis, felicitatisque artifices apte dixeris. *Quid* enim, perbelle Horatius, *leges sine moribus vanae proficiunt?* Nec Philosophi, immo nec hominis nomen merentur ii, qui civium mores, maxime

(1) *Evenit ut eadem scelera in quibusdam Provinciis gravius plectantur: ut in Africa messium incensores: in Mysia vitium: ubi metalla sunt, adulteratores monetae* Saturninus ait *in Leg.* 16. *Dig. de poenis*. Peculiaria haec sunt, at ratio latius pateat, quum legis vim potestatemque tenueris.

qui ad intemperantiam voluptatum pertinerent, nil Civitatis bono conducere scriptis mandare haud erubuerunt. Sat est tristissimos vitiorum exitus expendere, ut pateat quantum ii misere desipiant. Non hic cuncta vitiorum genera sequamur, quod longum esset, tum ab instituto nostro alienum, qui Aegyptiorum leges illustramus, nec Polithices libros conscribimus. Paucis tamen rem omnem conficimus, generali virtutis notione proposita. Haec, nominis potestate sua, est quaedam vis perficiens quod naturae cujusvis est. Alia hinc aliis naturis, agendique proprietatibus existat oportet. Hoc sequimur vulgari in sermone, quum herbarum, puta, mineralium, animalium virtutem dicimus, quo nil aliud intelligimus, quam rerum praestantiam ad aliquid efficiendum natura. Quamobrem aptissime dixit Tullius de Legibus - *Est virtus nihil aliud quam in se perfecta, et ad summum perducta natura* -.

Jam vero vitae commoda, ac felicitatem a Natura derivandam esse quis neget? Summus enim hujus artifex Deus ita eam instruxit, ut per se humano generi cuncta, quae ei prodesse possent, afferret. Perbelle hoc sensit idem Tullius, quum de Naturae praestantia pulcherrima haec habuit loco mox laudato - *Itaque ad hominum commoditates, et usus tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea, quae gignuntur, donata consulto nobis, non fortuito nata videantur: nec solum ea, quae frugibus, atque baccis, terrae foetu, profunduntur, sed etiam pecudes: quod perspicuum sit, partim ad usus hominum, partim ad fructum, partim ad vescendum procreatas. Artes vero innumerabiles repertae sunt docente natura, quam imitata ratio res ad vitam necessarias solerter consecuta est. Ipsum autem hominem eadem natura, non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus, tamquam satellites, attribuit, ac nuntios, et rerum plurimarum obscuras, et*

necessarias intelligentias enudavit, *quasi fundamenta quaedam scientiae*. Haec Tullius, rudi adhuc Methaphisica, vidit, quid nos, quibus compertum est, tribus praesertim actionibus humanam naturam prodi, *cogitatione*, *appetitu*; et *motu*? quarum primae animi, postrema corporis est. Quaelibet autem vis in finem suum tendit natura. *Verum* intellectui: *bonum* voluntati: *sensationum nuncium*, *animique ministerium* motui propositum est. Vis unamquamque ex his facultatibus perficiens virtus est, quae ex objecti, quod perficit varietate, vel *intellectualis*, vel *moralis*, vel *mechanica* nuncupatur, prout nempe, vel intellectum, vel appetitum, vel motum perficiendum suscepit. Quod autem praeclara haec naturae munera deserit, pervertit, vitium est.

Circumspiciamus jam celeriter animo quantum boni ex triplici virtutum, quas possimus, genere in societatem dimanet. Ut quis intellectum perficiendum curet, hac rerum universitate positus, verum a

falso, aequum ad iniquo valeat secernere. Inde quae Deo, quae sibi, quae aliis officia reddenda sint probe distinguat. Praeterea se ad Societatem cum aliis ineundam, fovendamque natum esse deprehendat: hinc veritates illas evolvat, unde maximam in alios conferri utilitatem sentiat: naturalibus denique facultatibus eo utendum, ut inde Dei honos, hominumque felicitas emergant: segnitiem vero morte pejus fugiendam apprime teneat. Quos vero ita intellectus irradiet, proxime voluntas in honestiora quaeque studia impellat, tum a deterrimis, societatique maxime molestis flagitiis avocet. Tandem mechanica virtus corporis robori, dexteritatique consulta, primum sinceriores rerum impressiones intelligentiae praestabit, deinde quod perbelle intellectus vidit, concupivit voluntas, celeriter, aptissimeque in usus hominum deducat.

Praeterea natura artifex Deus summa providentia ingenia ita dispertitus est, ne quid societati humanae necessarium, et

utile cultore suo careat. Fortunata itaque in Republica, quam fingimus, quisque naturae suae vires primum tentatus, mira alacritate ad ea studia convolabit, quibus se aptiorem conformatum esse sentiat. Hinc alios videas dies noctesque severioribus disciplinis incumbentes, quibus Divina natura digne pernoscatur, societatisque humanae regendae ratio enucleatius tradatur. Alios naturalium rerum cura usque divexet, ut inde quid in hominum utilitatem redundet. Nonnullos corporis vigor, animique ardor sagacitate conjunctus in castra propellant. Multos terrae cultus, mercatura, artes trahant. Haec autem sapientiorum hominum doctrina antea illustrata, validioribus dein, aptioribusque viribus exculta copiam undique in populum diffundant. Hinc sana Religio, aequum Imperium, publica tutela, civium institutio ac felicitas oriantur. O praeclaram virtutum morumque vim! utinam vitiorum laqueis numquam detinereris! tunc civitas quaeque bonis omnibus affluens, spirans quae-

dam Divinae bonitatis imago exstaret, quae tanta in hominum usus, ac commoditates munera largita est. Quae quidem bona maxima frustra a lege una expectes, quando a lege sat habeas (nec semper datur: supplicium enim, etsi asperius, longe tamen est, delicti autem dulcedo praesens) si cives se abstineant a crimine, terrore poenae; ut autem naturae opes in Civitatis bonum intendantur, id totum virtutum, bonorumque morum est, quos vitia misere dilacerant. Quamobrem impie non minus, quam stulte illi scriptum liquere nil morum, virtutumque societati civili necessarium, aut utile exstiturum. Pudeat eos, Ethnicum hominem, Tullium dico, meliora de hac re sensisse, quum legem voluit - *vitiorum emendatricem, commendatricemque virtutum* (1); praeclare quippe eidem suasum erat, utile ab honesto natura discrepare non posse (2). Sed ad Aegyptios redeamus.

(1) *De legibus lib.* 1.

(2) *De Officiis lib.* I.

Crimina quae venerea lubidine excitantur acriter lex persequitur, quando nulla proclivior sceleribus omnibus occasio dari potest ea, quae ex impudico, eodemque vehementissimo amoris aestu gignitur. Sed faedorum hujusmodi genere excellet adulterium, quo conjugis fides sanctissima temeratur impure, alienaque proles obtruditur alteri alenda: Conjugum animi, quos in bonum prolis conspirantes esse decet, tristissime avertuntur. Neglecta autem puerorum disciplina, mali cives irruunt in societatem. Praeterea conjux conjugem perosus, ejus vitae insidiatur, Pellicis, Amasiive actus incitamentis: hinc suspiciones, rixae, caedes familiarum, quibus omnibus ita perturbatis, publicus quoque ordo concutitur, concidit.

Quamobrem impurissima in haec severius Aegyptii animadverterunt; at forsan minus considerate. Quod enim stupri poenam attinet, inhumanum quid, quo societatis membra mutilentur, jusserunt,

nec noxae injuriam repararunt. Satius lex Attica nuptiis, vel corruptoris morte stuprum expiandum jussit (1): leniorque Mosaica lex dotem, et nuptias a stupratore praestandas injunxit (2): cui convenit Canonica sanctio (3), licet, mitiori Fori usu, copulativa hujusmodi in disjunctivam, ut inquiunt, versa sit (4). Quod adulterium spectat, in mare saevitas non necessaria adhibita, quando mors una satis acerbitatis habet, quum primum hominum appetitum, vitam, destruat, quin ei cruciatus quoque atrocissimi addendi sint: mulier vero ita facie faedata ubique ignominiam suam praeseferat, quae num-

(1) Scholiastes Terentianus *in Andriae vers.* 41. 42. *Act. IV. Sc.* 3. - *Lex erat*, inqnit (Athenis) Η Βιασθεισα η γαμον, η θανατον αιρεισθω του Βιαζομενου: scilicet; vim passa vel nuptias, vel mortem corruptoris assequitor.

(2) *Deuteron.* XXII. 29. *Exodi* XXII. 26.

(3) *Cap.* 1. *de Adult. et stupr.*

(4) Vid. Fagnanum *in Cap.* 2. *de Adulter. et stupr. n.* 2. *et* 3. Moschat. *Inst. Can. Lib.* 5. *tit.* 16. *n.* 12.

quam animum ad honestiora, tanta abjectione, valeat excitare. In poenis autem, quae vitam non adimunt, sontis correctio, emendatioque negligenda non est.

Sed fortasse erunt, qui ex poenae atrocitate perbelle Rempublicam a criminibus servatam dicant. Sententiam hanc sequitur vir praestantissimus, at romanae Reipublicae plus aequo admirator, Vincentius Gravina, quum dirissimum XII. Tabularum de sectione Debitorum jus, crudele *in speciem* exemplum appellat. *In speciem inquam* (sic ipse (1)); *nam revera nil mitius ea poena, quae terrore suo delinquendi consilium aufert* - Praeclarum oppido criminalis disciplinae studium delicta impedire. Huc si atrociores Draconis, Charondae, Saleucique leges spectarunt, consilio quidem laudandae sunt; verum ne populum turbarint potius, quam composuerint timeo. Crudelius quodque supplicii genus excogita, numquam deli-

(1) *Orig. Jur. Lib. II. Cap.* 72,

cta ab hominum societate delere poteris. Crimine itaque patrato, immanis poena, vel exigetur, vel erit ludibrio. Si prius contingat, supplicii feritate civium corda, humanitate ita per lege abjecta, crudelitati assuescant, qua atrocius nihil moliri non audeant. Quos vero ferocia poenae ab mitioribus moribus non abduxerit, in supremam potestatem, unde faedissima haec descendunt, impellat: rei infelicitatem miserti immmane jugum excutere studebunt. Sin alterum eveniat: quod frequentius, quando natura ipsa ab feritate abstrahit, quum nulla flagrans cupiditas animum exagitat: hinc delictorum quaesitores ipsi nolint in crimine reperire, quos nolint inique plectere: cives autem fugae, occultationi sontis faveant impense: tunc, legum vi semel despecta, improbi in crimina ovantes incedant. Utroque itaque eventu publicam salutem evertas, quam contra, humaniori, criminique adaequata poena, praeclare incolumem servabis, quum cun-

eti legis executores sese libenter praebeant, nullaque impunitatis tristissima via improbis pateat.

At jam delictorum genus complet Alea, *legibus vetita*, ceu coecinit Horatius (1). Revera interest Reipublicae, ne quis re sua male utatur. Quid autem perversius, quam fortunas tuas, quibus vel familiam, vel alios tueri possis, aleae committere? Sed praeter haec prodigalitatis mala plurima aleae insunt vitia, quae Legumlatoris sollicitudinem excitare debeant. Nulla namque faedior lues aleatoria cupiditate dari potest turbis, rapinis, caedibus gignendis, ubi animum invaserit. Haec domesticos hominum coetus in hostiles concursus pervertit. Citius sanguinem, vitam, quam vincendi spem, deserat aleator: hinc, perdita re, nova usque e familia tollere, rapere, alios spoliare, interficere, quo iterum ludendi copia sit, properabit. Qua-

(1) *Carminum lib.* 3. *Od.* 26. *v.* 58.

mobrem penes Romanos aleatorum genus infame habitum est, a dicendo testimonio quandoque prohibitum, eorumque domus publica tutela contra fures, raptoresque destituta, immo et ipsa publicata: aliaque in invisos hujusmodi statuta (1). Aegyptii vero, altius rem perscrutati, publicam accusationem in aleatores jusserunt, criminisque convictos ad latomias damnarunt: quod supplicii genus Romae tantum eos, qui alterum ludere compulissent manebat (2).

Publicae felicitatis fundamentis jactis, Religione, ac bonis moribus, nunc universorum salus defenditur, poenis in Reipublicae proditores, militiae desertores, ac falsarios statutis. Laesae Majestatis crimen praecipue occurrit, quod principem in Civili societate nequitiae locum tenet. Eo namque aggreditur suprema

(1) Vid. Dig. et Cod. *tit. de Aleatoribus*, Marquardum, Freherum *Cap.* 22. *n.* 5. Rauchbarum *p.* 2. *Q.* 25. *n.* 31.

(2) *Leg.* 2. *Digestor. tit. de Aleatoribus.*

„Potestas, qua cives omnes defensi sunt ab injuriis, et ex qua maximum civilis coalitionis bonum oritur. Laesa itaque in Majestate supremi Regiminis cives omnes laesos deprehendas (1). Quod luctuosa heu nimis experientia docuit, quum, hostiliter summa potestate aggressa, egestate, caedibus civitates, patriique Lares faedati sunt. Tristioris criminis plures sunt species, quas expendunt Jurisconsulti (2): lex vero, quam invenimus, tantum eos, qui arcana Reipublicae hostibus manifestarint, persequitur linguae sectione, quasi aliter idem in posterum patrari non possit. Nec felicius Aegyptii publicam tutelam curarunt infamia, quae una militiae desertorem manet. Vix enim honoris, gloriae capax erit, qui vitam Reipublicae saluti anteponendam duxerit. Dedecus vero ei, qui honore non capitur, non grave: hunc,

(1) Bourlamach. *Du Droit Politiq. Par. I. c.* 3.
(2) Vid. Digest. *Lib.* 48. *tit.* 4.

nisi mors a lege sancita, nil aliud in statione continebit. Congrua tamen, quae sequitur, sanctio est, qua venia, honos ei, qui in castra redierit, ac si nunquam discesserit, redditur, quod nos ex XII. Tabularum voce expressimus - *Forti sanati siremps jus esto* - Nec enim ad gloriam reverti quisquam impediendus est.

Postremo Falsi teterrimum crimen, manibus incisis, plectitur. Sed probe secernendum erat *nummarium* falsum a *testamentario,* quo et aliarum tabularum adulteratio continetur. Prius enim altero longe nocentius, flagitiosiusque habetur. Eo namque supremae Potestatis jus laeditur, cui uni conflandorum nummorum Civili Societate facultas est (1). Ad hoc, falsa moneta in vulgus semel invecta, publica destruitur fides, quae commercii anima est, cujus jactura nemo non affligitur in societate. Praeterea illud etiam discriminandum erat, falsone quis num-

(1) Heineccius *Jur. Nat. et Gent. lib.* 2.

mos conflasset, vel probos lavasset, tondisset, corrupisset. Levius enim adulterare nummos, quam falsos cudere. Sed moras omnes lex perosa, atrox carmen in falsarios jacit, quo absurdissime dum homini vitam servat, adimit eidem adjumenta vitae, manus, ut inde quem honeste ex industria habere non licet, victum, criminosus quisquam per fraudes, novaque scelera comparare constituat. Quod ne fieret, Imperator Justinianus, hoc poenarum genere humanius imperavit, ut una modo manus possit abscindi (2). Sed jam mitiores mores a poenis hujusmodi recesserunt.

Tandem singulorum jura bonaque lex tuetur, vitam, ac famam undique muniendo. Et quod vitam attinet, non modo jura cives contra noxios tuentur futuri supplicii metu, sed facinus ipsum impediendum curant homicidii poena, et in eos dicta, qui, cum possent, aggres-

(1) Novella 134. *cap. ult.*

sum civem non defenderunt. Sane isti abjiciunt illam mutuam caritatem, qua quis alteri opem ferre adstringitur. Apposite Tullius (1) - *Sed injustitiae genera duo sunt* (inquit). *Unum eorum, qui inferunt: alterum eorum, qui ab his, quibus infertur, si possint, non propulsant injuriam. Nam qui injuste impetum in quempiam facit, aut ira, aut aliqua perturbatione incitatus, is quasi manus afferre videtur socio: qui autem non defendit, neque obsistit, si potest, injuriae, tam est in vitio, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat* - Verum officii regula non bene delicti obligationi (quae ad poenam est) dimetiendae attemperabitur. Ferventi pugnae se immiscere timoris plena, periculique res est, quam contemnere aliorum causa non adeo multos naturalis quidam pavor, socordiaque patiantur. Quod si poenae materies sit, infinita adsit reorum multitudo, quae legum vim, exemplo pessimo, cogat dimittere.

(1) *De Offic. lib. 1. cap. 8.*

Rectius igitur Romani crimen non impeditum generatim crimini non dabant, sed id tantum sequebantur ubi praestans aliqua sanguinis, aut officii ratio aggressi defensionem flagitabat: veluti in servo, qui dominum non defendisset ad necem petitum, item in filio, qui Patri a fratre propinatum venenum non indicasset (1). Quod vero existimationem spectat, numquam satis laudanda legis severitas, quae calumniatores, pessimum hominum genus, societatisque humanae pestem cohercet. Frustra enim poenarum gladium in sontem minaris, nisi continuo innocentiae clypeo innoxium tegeris. Delicti illecebrae unae dominentur ubi innocentiae dulcedo, securitasque ignotae. Hinc Romani praeter Talionis poenam literam *K* calumniatorum fronti inurebant, veteri lege Remmia,

(1) Leg. *I. §. Juxta hoc* 28. *Dig. ad SC. Syllanianum* Leg. Frater. 2. *Dig. de Lege Pompeja de Parricidiis.*

ut ei perpetuo fides adempta esset: cujus legis austeritas nonnisi ab invisissimis Tyramnis, qui falsis criminationibus libidines suas explebant, praecisa est, adeo ut non erubuerit ferissimus Sylla in crimine Majestatis lege statuere faedissima haec - *Kalumniatoribus nulla poena esto* (1) -

De Parricidio ultimo loco agitur, scilicet ut hominum pravitatis fastigium ostendatur. Animo enim vix capi potest tantam in humanis mentibus perversitatem esse posse, qua quis in vitae suae authorem valeat insurgere, eumque crudelissime obtruncare. Quid hic propinquis, quid amicis, quid patriae faciat, quando nec a paterno sanguine se abstinuit? Quamobrem veteres Legumlatores crimen hoc vel silentio praeteriere, veluti Athenis Solon, Romulus Romae primordiis arbitrati sunt (2), vel ita plecte-

(1) Sigonius *De Judiciis lib. II. cap.* 29.

(2) Plutarchus *in Romul.* Ant. Augustin. *ad*

runt, ut tanti facinoris horror cunctos incederet. Nota Romanorum severitas, qua sons ita puniebatur, ut ante mortem ab natura universa segregaretur ex XII. Tabularum jure cujus hoc erat carmen - *Qui Parentem necassit, caput ejus obnubito, culleoque insutus in profluentem mergitor* (2). Culleo vero postea simia, canis gallus gallinaceus inserti sunt, quibus rabie incensis, noxius laniabatur saevissime (3). Aegyptii autem supplicii aspectum auxerunt, angores minuerunt. Utrumque recte: quando ea divina fere poena habenda est in Civitate, quae, quum exemplum afferat tristissimum, sontis doloribus, quantum potest, ignoscat.

Haec de criminibus Aegyptii: quae si non aptissima in poenis statuendis quandoque reperta sunt, temporibus id tribu-

Leg. Pomp. de Parricid. Sigonius *de Judiciis Lib. II. cap.* 31.

(1) Gravina *Orig. Juris Lib. II. cap.* 63.

(2) Ant. Matthaeus *de Crimin. Lib.* 48. *tit.* 5. *cap.* 2.

endum est. Laudanda nihilominus summopere illa Aegyptiorum cura, quae ubique elucet, ut fides, Religio, publica tranquillitas, hominum vita, et salus sanctae inter cives sint. Sed jam ad jura religiosa accedamus, quae complectitur

TABULA QUINTA

I.

NE CUI, NISI ANTEA JUDICATUS SIET, JUSTA PERSOLVITO. IDEM IN REGE IUS RATUM ESTO.

II.

MORTUORUM QUAESITORES CYMBA LACUM PRAETEREUNTO.

III.

LACU TRANSACTO, MORTUI VITAM GNOSCITO SI NOXIUS ESCIT, DEDECUS: SINSONS, FUNERA HABETO.

IV.

COGNATI, CLIENTESVE XL., VEL LXX. DIES AMPLIUS MORTUUM NE LUGEANT.

V.

LUCTUS TEMPORE FUSCA INDUTI VESTE, VINO, PULMENTIS, BALNEOQUE ABSTINENTO.

VI.

POST FUNUS CORPORIS UNCTURA ESTO: UNCTUM CADAVER DOMI SERVATO.

Religiosa jura gentibus fere omnibus fuere. Inde Tullius animorum immortalitatis argumenta sumebat in libro de Amicitia, quo Laelius habet haec - *Neque assentior his, qui nuper disserere coeperunt cum corporibus simul animos interire, atque omnia morte deleri: plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum Majorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt, quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur* - Id multo, Hercle, aequius in Aegyptios quadrat, qui tam anxie de funeribus curabant, ut neminem his decorarent, nisi antea de ejus vita severius judicium praecessisset,

quod lege ita adumbratum erat, ut quid altius humana re praeseferret, totiusque posteritatis fidem mereret.

Nam judices lacum quemdam cymba transibant: portitor aegyptia lingua *Charon* audiebat, unde fortasse Charontis persona in fabulis usurpata. Lacu transacto, Quaesitores mortuorum, ab humanis rebus quasi secreti, gravissime inter se conveniebant, tum defuncti vitam, studio quovis amoto, laude, vel vituperatione dignam pronunciabant: hinc honos, vel dedecus in mortuum veniebat. Illic non gratia, opibus, vi quisquam contendere poterat: Rex ipse, uti privatus homuncio Judicum auctoritatem subibat. Quae res tum Regnantis cupiditates, superbiamque compescebat, qui aeternum dedecus formidabat, tum cives a rebus, novis turbisque arcebat, qui justitiae locum in Tyramni morte noscebant tandem futurum.

Lugendi autem tempora lege statuta sunt, ne nimio luctu pectora virorum

praeter modum mollirentur, tum longiori fletu insuetoque moeroris aspectu, mortis augeretur opinio, cujus contemptui assuefieri quemquam decet, qui ad praeclara facinora virtute nitatur. Unde impatientis doloris signa XII. Tabulae amoverunt lege - *Mulieres genas ne raduntо, neve lessum funeris ergo habento* - At luctus tempore apti ritus jussi sunt, quibus mortui desiderium cognati, clientesve ostenderent, atris vestibus, tum cibi, et potus, nec non delicatioris corporis curae abstinentia, ut mortalis vitae taedium significaretur.

Postremo corporis unctura jussa est, quae et apud Persas, Graecos, Romanosque obtinuit, qui servilem uncturam modo prohibuerunt. Verum hoc artificii genere Aegyptii gentes omnes superarunt, qui unguentis, balsamisque suis, humani corporis compagem a tabo ita servarunt, ut domi quisque Patris sui spirantem adhuc imaginem intueri gauderet, atque ita, nec morte se ab amatissimis conjunctis abstrahi putaret.

Modestissima haec de religiosis lege statuta sunt. Sed Regum opes morem vulgi longe praetergressae sunt. Hinc illae celebratissimae Pyramides, alias inter Orbis miracula accensitae, humanae tamen imbecillitatis, insaniaeque testes nunquam interituri, qua exiguus cinis extructis ad Coelum montibus conditus est; uti nostra quoque aetate Sinarum stultitia excellet, quorum maxima pars opum funeris sumptu absumitur (1). Inanem vero hanc sepulcrorum magnificentiam cordatissimi quique Legumlatores compresserunt, quod Athenis Solon, Romae Decemviri curarunt, de quo late habet Tullius de Legibus libro II. Non enim misera funerum ambitione, sed virtute, et benefactis posteritatis admiratio mercanda est: Idque Aegyptiis Regibus apprime contigit, quum eorum qui sepulcris extruendis adeo insudarunt,

(1) Eleganter, ut assolet, Gravina *Orig. Jur. Lib. II. cap.* 78.

ne nomina quidem innotescant ; at nulla unquam temporum fuga Meridis Regis carissimam memoriam obliteret, qui eximium lacum, *Meridis* inde dictum efformavit, quo Nili fluminis defectui, vel excessui, universi Regni commodo, apte medebatur.

Haec habui de Aegyptiorum legibus quae dicerem, quae si jejuna, mancaque forsan reperiantur, ea tamen sunt, ut Aegyptii Regiminis formam, spiritumque valeant exhibere, quod unum animo propositum fuit.

Audacia nobis
Laus erit: in magnis et voluisse sat est.



Jussu Rmi Patris S. P. Ap. Magistri Opusculum, cui titulus: *Francisci Norcia Advocati Romani Aegyptii Juris Specimen* attente perlegi, cumque nihil in eo deprehenderim, quod Religioni, bonisve moribus adversetur, dignum quod typis edatur existimo.

Ex Monast. S. Bernardi ad Thermas Dioclet. 18. Aprilis 8122.

D. Paulus Pancaldi Ab. Cist.

IMPRIMATUR

Si videbitur Rmo P. Mag. Sac. Pal. Ap.

J. Della Porta Archiep. Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Philippus Anfossi Ord. Praed. Magister Sacr. Pal. Apost.

			ERRATA	CORRIGE
pag. 14	*v.* 22	23	aliaquae	aliaque
30	15	16	exornabant	exornabat
31	10		pubblicae	publicae
6	6		quo quo	quo
48	8		queareretur	quereretur
62	23		inbribus	imbribus





